

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz
Naumann, Tobias Gottfr.**

Ienae, 1712

VD18 11426357-001

§. II.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

mus ipsius Saluatoris, quos in diebus carnis fecit, sermones; & parabolicam loquendi methodum, hinc inde deprehendemus. Apostolorum si perlegimus scripta, quot quaeso ibi nobis de Christo, eiusque regno ac donis, tropicae & figuratae occurrent locutiones? Taceo nunc veteris testamenti oracula, quae pro temporis ratione, & hominum conditione, inuolucris fere omnia inclusa proponunt. Inpraesentiarum animo sedet, perpendere saltem illud; *II. Cor. II. 14. 15.* ubi mentio fit *bonae fragrantiae Christi*. Tu autem Christe iuua, ut mens tuo collustrata lumine, ea saltem meditetur, quae in tuum cedunt honorem.

§. II. De *bona* autem *Christi fragrantia* acturus, omnium primo dicendum esse abitor, quidnam haec loquendi ratio significet. Quamquam enim frequens eiusdem sit usus, improprie tamen saepissime usurpatam deprehendimus. Per *bonam fragrantiam Christi* nihil quicquam aliud, quam oblectationem, acquiescentiam, & singularem voluptatem, qua Pater coelestis propter Christum ipsiusque meritum affectus est, quamque Filius vnigenitus Patris in quo vnice acquiescit, ipsi creauit, ex communissi-

munissimo in sacris usu, intelligendum esse, existimo. Patebit id cuius ad oculum, ex iis, quae inferius in medium proferentur. Hic saltem subiicio loca, ubi contrarium reperitur, *Gen.* nempe *XXXIV-30. Exod. V-21. 1. Sam. XIV. 4. &c.* In his enim locis si foetidum quenquam reddere, idem est ac exosum, taediumque reddere, certe e contrario bonum odorem, voluptatem, quam de quopiam capere possum, significare, certo certius constabit.

§. III. *Bona fragrantia*, graecis dicitur *εὐωδία*, descendens ab *eu bene*, & *ὄζω oleo*; diciturque proprie de rebus bonum odorem spirantibus. At in sacris literis, per metaphoram frequentissime usurpatur de iis rebus, quae sunt gratiae & acceptae, ut coincidat cum voce *εὐδοκία*. Deo tribuitur per metaphoram sacram, quam *ἀνθρωποπάθειαν* dicunt doctores: *θεοπροπῶς* autem intelligi debet.

§. IV. Quis enim, quaeso, odoris boni effectus primus ac praecipuus est in hominum naribus? Nullus certe alius, quam delectatio quaedam salutaris, ac refocillatio, nec non spirituum animalium in cerebro, totoque hu-